



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt III. Lotharingus in generali coetu exceptus. Epistola Regis Galliae à Lansaco reddita Concilio. Eiusdem Lotharingi dissertatio. Primi Legati verba, & responsum ab Archiepiscopo Iadrensi communi ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-11718

1562. fuerat, eius mansionem Tridenti vtiliorem redderet: sed tandem conveniebant, Vicecomitem omnium maximè idoneum censeri, ob singularem Pontificis in eo fiduciam, quã opus erat in homine, qui auditurus delaturusque esset ex ore Pontificis intimos eiusdem sensus; cum prima conditio in eo, cui ut pecuniæ, perinde arcana concedenda sunt, fides sit.

C A P V T III.

Lotharingus in generali cœtu exceptus. Epistola Regis Gallie à Lansaco reddita Concilio. Eiusdem Lotharingi dissertatio. Primi Legati verba, & responsum ab Archiepiscopo Iadrensi communi nomine redditum. Noua oratio Oratoris Ferrerij.

^a Præter Acta arcis Romanæ, Paleotti, & Diarium 24 Nouembrii, Epistola Legatorum ad Borromæum, & duæ Iadrensis & Mutinensis, eodem die.

^b In utroque idiomate impressæ sunt in volumine Gallico memorato.

POstridie huiusce colloquij inter Præsides & Lotharingum, accessit hic ad generalem conuentum^a; ad quem cum prius confluxisset magna exterorum hominum frequentia curiositatis gratiã, postea exclusi sunt: atque ab eo qui erat à secretis, tum ea quæ Lotharingus à se dicenda destinarat, tum epistolæ regis exemplum, tum paratum illi responsum, summatim proposita. Et pro ingenio illorum cœtuum, in quibus multi verè sapiunt, & omnes putant voluntque ut ab aliis putentur sapere, in huiusmodi officiosis verbis nauiter iam digestis oppositiones disputationesque non defuerunt. Postea ad deducendum Lotharingum ex ipsius domo, missi sunt Patriarcha Hierosolymitanus, Archiepiscopi Hydruntinus & Granatensis, Episcopi Cauensis, Conimbricensis, Viterbiensis, & Salmanticensis. Legati è suis sedibus per gradus descendentes, illum ingressum exceperunt: tum confidentibus Patribus, immensã populi coronã circumdati in medium progressi sunt Oratores Gallicani; & Lansacus, vtpote dignior, litteras regias reddidit Gallicè scriptas, & Latine versas^b: quo idiomate recitatae sunt integrè ab Episcopo, qui à secretis erat.

Gallica inscriptio erat: *Sanctissimis ac reuerendissimis Patribus Tridenti congregatis ad sanctæ Synodi celebrationem*: sed clarius Latine dicebatur: *Congregatis in sacrosancta Synodo Tridentina*. Exponebat illic Rex regni sui calamitates, quibus nonnisi à Diuina misericordia remedium expectandum erat: impensã à Rege demortuo fratre suo atque à se studia, quò Synodus cogeretur: cunctationis necessitatem in Præsulum missione, ac duplicem causam eò mittendi Lotharingi Cardinalis; alteram, quoniam ille suæ professionis officium

1562.

cium haud oblitus, sæpè facultatem conueniendi petierat; alteram, quoniam à primis annis educatus inter seueriora regni negotia, in-
rimos fontes grassantium miseriarum pernoscebat. Patres cohorta-
batur Rex ad laudabilem ac sanctam disciplinæ correctionem, iis
restituta Ecclesiæ, quæ hominum improbitate, ac temporum iniu-
riâ collapsa fuerant, cuius operis non modò remuneratorem Deum
habitura erant, sed debitores cunctos Principes ac Principatus, ac
cunctos posteros laudatores. Denique ab ipsis petebat, vt eam Car-
dinali fidem haberent, quam ipsi Regi habuissent.

3 Lectis litteris, loqui cœpit Lotharingus eâ dictionis eloquentiâ,
& actionis gratiâ, quâ vniuersè auditores rapuit, commouitque.
Ob oculos posuit ærumnas exortas in Gallia ob corruptos cuncto-
rum Ordinum mores, ob Ecclesiasticam disciplinam omnino colla-
psam, ob hæreses non oppressas, & ob tandiu neglecta remedia
à Deo instituta. Non parci Ecclesiis; stragem edi Sacerdotum,
dum aras amplexabantur; conculcari Sacramenta; vndique rogos
erigi ornatuum Ecclesiasticorum, & pyras sacrarum imaginum ab-
iectarum. Comburi, & in fluuios proiici Sanctorum ipsana, &
cum ipsis effossa corpora Pontificum, Regum, ac Cæsarum: audiri
voces nefarias in Dei nomen iactas; expelli Pastores; interdici sa-
crificia, despici Regem, leges obmutescere. Monuit aliorum Prin-
cipum Oratores, infortunia, quæ tunc in Gallia poterant ipsi otio-
sè conspicere, experturos se serâ pœnitentiâ suis in patriis, si pro-
pinquum illud regnum casu suo illas traheret in ruinam. Non ta-
men tot tantisque malis deesse spem in egregia pupilli Regis indole,
in optimis Reginæ matris, & Nauarræ Regis consiliis, & in præ-
ualidis Dynastarum viribus; sed victricia tela in propria tandem
ipsorum viscera immergi: quare nihil suppetere salubrius, cui fi-
dendum esset, quàm auxilium quod omnes Catholici petebant ab
ea sacrosancta Synodo, & vniuersali Ecclesia in Sancto Spiritu le-
gitimè congregata. Duo potissimum illos Patres à Rege commo-
neri, pro ea quâ Synodum prosequeretur obseruantia, & pro mo-
lestia quam ob Religionis dissidia patiebatur, vt nimirum pro viri-
li vana litigia & infructuosæ controuersie declinarentur, atque
Principes ab armis mouendis retraherentur. Ab Henrico, dum
moreretur, pacem fuisse commendatam, eandem optatam à Rege
superstite ac Regina, pro ætatis sexusque conditione: ea consilia re-
uera infeliciter cessisse, sed maiorem infelicitatem esse formidanda,
si vniuersa Christiana Respublica in periculosum belli fretum
sefe immitteret, adiretque discrimen vno eodemque naufragio pe-
nitus

Pars III.

K k

nitus

Historiæ
Concilii Tridentini
Lib. 19. Cap. 3.

1562.

nitus pereundi. Dein ingressus emendationis postulata, eius necessitatem ostendit, ad Ecclesiam, ac præcipuè Galliam sustinendam: repetiit ea Scripturæ verba, quæ à Pauli III. Legatis allata fuerant in Synodi primordiis: *Propter nos, fratres, hæc tempestas nata est, proiciite nos in mare.* Finem dicendi fecit, professus se sui que comitatus Episcopos velle subiacere post Deum beatissimo Pio IV. Pontifici Maximo: cognosci à se illius in terra Principatum supra cunctas Ecclesias; numquam eius mandata se obtrectaturos: venerari Ecclesiæ Catholicæ, & Oecumenicæ Synodi Decreta: Illustrissimis Legatis se submittere, sociales dexteras reliquis Episcopis offerre, ac Cæsari, quodd ibi suarum sententiarum testes adessent clarissimi Principum Oratores.

Hæc Lotharingus. Tum Mantuanus quædam habuit verba, quibus tantumdem plausus ex maiestate retulit, quantum alter ex eloquentia. Illorum sententia hæc fuit: Cùm Lotharingus Cardinalis Legatos inuisens, iis significasset, velle se sui Regis mandata in cœtu Patribus exponere, selectum ab ipsis fuisse Archiepiscopum Iadrensem, virum doctum atque prudentem, qui simul nomine Synodi responsum redderet eleganti, copiosæ atque eruditæ Cardinalis orationi, qualem promiserat egregia illius scientia, & qualem res ipsa comprobat; simul explicaret, quàm gratus acciderit illi conuentui susceptus ab eo labor itineris Tridentini, quò Synodum locupletaret multis Episcopis, Abbatibus, ac Theologis Ecclesiæ Gallicanæ, cùm ex ea doctissimorum capitum accessione ingens subsidium speraretur Catholicæ veritatis causæ, & processus mirifici in Ecclesia corruptelarum morumque correctioni. Etenim in comperto erat, quantum Cardinalis laborasset in Consiliis Reginæ ac Regis ad Religionem tuendam, ad confirmandam auctoritatem Sedis Apostolicæ, & Pontificis dignitatem; nec minus innotuerat, quantum idem in publicis concionibus dixisset, Evangelium non erubescens, prout plerique Procerum solent, & quantum denique perfecerat virtus bellica præclarissimorum illius fratrum in bello Gallico, Religionis causâ suscepto: paria in posterum facinora sibi polliceri Patres, tum Tridenti ab huius lingua, tum in Gallia ab illorum manu. Verùm ne Iadrensis partes ipse assumeret, nihil à se ampliùs addi; sed rogari tantummodò Cardinalem, ne illi mirum accideret, si ipse vsurus esset maiori breuitate, quàm postulare videbantur thematis amplitudo, dotisque innumerabiles præstantissimorum eius fratrum, cùm sibi persuasisset, plurimum à se collaudatum iri Cardinalem, dum pauca proferret ex plurimis quibus

quibus ille laudari posset, reliqua verò auditorum considerationi 1562.
tacitè relinqueret.

5 Facto hîc silentio, locum loquendi dedit Mutio Callino Archi-
episcopo Iadrensi, qui orsus est: Acerbum dolorem passam esse
Synodum ob Gallix seditiones, cùm intelligeret, Regnum illud
inclytum, quod semper firmissimum quasi propugnaculum Catho-
licæ veritatis perstiterat, nunc propter controuersiam Religionis
campum miserabilem stragis cladisque euasisse, adeoque Gallix
Proceres inter se configere tam ardentè, quàm antea coniunctim
bella Religionis gratiâ gesserant: credidisse prius Patres, ipso-
rum tristitiam plurimum auctum iri, si forte Gallix calamitates
non audissent, sed adspexissent. Et planè id ipsis eo die accidisse
improvisè, dum Cardinalis orationis suæ copiâ & grauitate, spe-
ctatores potiùs quàm auditores illorum infortuniorum effecerat;
adèd vt in sensu doloris ne ipsi quidem Oratori cederent. Deplo-
rari ab eo charissimæ parentis ærumnas; à Concilio, charissimæ fi-
liæ: releuari tamen mœstitiam à concepta spe, quòd excitaturus
esset Deus ad suam suæque Fidei gloriam in Rege pupillo virtutem
ac felicitatem maiorum. Præterquam quòd cùm in præsentia co-
actus Diuinâ commiseratione, ac Pontificis operâ cerneretur facer il-
le conuentus, sperandum esset, disiectis tenebris agnitum iri ab
omnibus verum Dei cultum, ac disciplinæ splendorem, pacemque
Ecclesiæ redditum iri. Ad quod perficiendum sicuti Synodus ante-
acta industriam omnem impenderat, ita, vbi id posset, in posterum
enixius conaturam; cùm summæ sibi prosperitati duceret præsen-
tiam Cardinalis, non modò vt hortatoris, sed vt consiliarij & adiu-
toris. Compertam esse illius præstantiam in liberalibus disciplinis,
ac potissimum in sacris, ingentium negotiorum peritiam, auctori-
tatem apud Principes, &, quod maximum erat, pietatem erga
Deum, integritatem vitæ, ac studium Catholicæ Religionis: pro-
inde polliceri sibi Synodum ab eius opera tantum emolumentum,
vt lætitia, quam eius aduentus dies attulerat, euasura esset minima
inter omnes eiusdem mansionis dies: eapropter agi à Patribus debi-
tas Deo grates, & felicem accessum, post tam laboriosum ac peri-
culosum iter, ipsi Cardinali, eiusque honestissimo comitatu gratu-
lari, dum à cælo prosperos illis successus iidem augurabantur. Se li-
benter audituros aut à Cardinali, aut ab Oratoribus, quæcumque
Rex proponeret, vbi ad ea exponenda locus ac facultas illis conce-
deretur (adiecta sunt hæc verba postrema, ne Oratores sibi potesta-
tem tribuerent publicè verba faciendi quoties ipsis libuisset) cùm

1562. Patribus certum esset, Regis nomine, qui utique laudem pueritiæ suæ comparare incipiebat è strenua pietatis defensione, & cui præcipuum studium totius vitæ curriculo adhibendum erat ad exornandam amplificandamque Religionem, ea propositum iri, quæ cum vera Dei gloria, cum perpetuo Ecclesiæ bono, cum summa Sedis Apostolicæ dignitate connecterentur.

Absolutâ Iadrensis oratione, Ferrerius graui eloquentiâ sermonem habuit, Cardinalis dotes amplificando: Ex legatione viri tam præclari, aded necessarij Gallicano regno inter eos tumultus, palam fieri Regis religionem, eiusdemque de Synodo æstimationem. Posse Regem, vbi vellet, triduo prouincias suas pacare, quippe Principi suo natiuo propensione addictissimas; sed ab illo non tam res suas quæri, quàm Religionis Catholicæ, summiq; Pontificis, ad cuius dignitatem auctoritatemque tuendam nihil ipsum vereri thesauros omnes profundere, simulque regnum ac vitam in discrimen adducere. Ad emendationis postulatam progressum, dixit: A suo Rege non peti nisi quod à Patribus Nicæni Concilij Magnus Constantinus petierat: suas omnes petitiones contineri aut in sacris Litteris, aut in antiquis Constitutionibus Conciliorum, Pontificum, & Patrum: harum restitutionem in integrum, vt loquuntur Iurisconsulti, à Rege Christianissimo, Ecclesiæ Primogenito, postulari apud eos, quos Deus legitimos tamquam Prætores constituerat: id ipsos à Rege flagitari non vi clausulæ vniuersalis, sed verborum, quæ exprimentur in Edicto illo Diuino ac perpetuo, aduersus quod nec habuit, nec habiturus erit locum vlucapio (*vsurpatione* dicit Italicè Suauis, ex legalium vocabulorum ignorantia) seu præscriptio. Rem illustrauit ingeniosis collationibus exemplorum ex Diuina Scriptura. Affirmauit, nisi id perficeretur, frustrâ confugi ad affinitatem, ad singularem amicitiam, ad incredibilem liberalitatem maximi ac potentissimi Regis Catholici: frustrâ implorari opem supremi Pontificis, Reipublicæ Venetæ, Ducum Lotharingiæ, Sabaudia, & Etruriæ: id nisi haberetur, fallacem esse equum ad salutem. Eos qui perirent, propriâ quidem culpâ perituros; sed perituros Patribus, atque è Patrum manibus rationem eorum sanguinis petiturum iri. Postremò adiecit: Antequam peculiaria mandata proponerentur, illos à se rogari, vt celeriter cæptas disceptationes absoluerent, quò amplior facilitas præberetur ad agitanda argumenta longè grauiora, & maxime necessaria, finemque Synodo ad Diuinam gloriam imponendum.

Præmo-

7 Præmoniti fuerant Præsides^c de iis, ad quæ exponenda se parabat Ferrerius; nec equidem comperio eam difficultatem in eius oratione permittenda, nec eam ægrimoniam in illa auscultanda, quam Suavis depingit. Solùm^d scripsit ad Borromæum Vicecomes, admonitos fuisse Legatos, ne huiusmodi morem inducerent; eos verò respondisse, se pollicitos iam fuisse in eo gratificaturos Oratori. Verùm neque necessarium neque decorum existimarunt, nouam illi responsonem reddere nomine Synodi; idcirco qui à secretis erat, ad ambos Oratores Gallicos conuersus dixit, Synodum sedulò expensuram res ab illis propositas, atque in tempore responsum.

Dum hæc Suavis recenset, in multis peccat. Quare in Latina versione, illius amicus potius quàm interpretis, melius veritatem edoctus, aliquot ex eius erratis emendat. Sed tanti ponderis ad rei summam non sunt, vt velim aliter ea refellere, quàm ex diuersa mea narratione, cum lubeat mihi illud agere cum Suauis, quod in moderata Republica fieri solet, vbi lenia malefacta neque cuncta condonantur, neque cuncta vindicantur.

C A P V T I V.

Gallorum alienatio à Simonetta. Varia inter Lotharingum & Gualterium colloquia. Sessio prorogata pro arbitrato, sed cum restrictione, vt certus dies intra dies octo denuntietur. Obitus Ioannis Baptiste Osijs Episcopi Reatini, Ioannis Cardinalis Medicei, & Frederici Comitæ Borromæi, geniti ex sorore Pontificis. Discessus Oratoris Bauarici. Difficultas in componenda dissensione inter Oratores Gallie & Hispanie.

Gualterius continuatâ cum Lotharingo consuetudine, illum comperit non modò conscium suspicionum^a, quæ nunquam omnino disiectæ fuerant inter Legatos reliquos, & Simonettam, sed in hunc etiam animo malè affecto, affirmantemque, vti Simonettæ arcanos Pontificis sensus patere; atque hinc minui collegis animum, quòd se Romæ perstrictos animaduertent. Satis non esse Simonettæ, quòd in persuasione benevolentie erga Pontificem primas obtineret, nisi etiam contrariam de aliis persuasionem induceret: in quo tamen Lotharingus perperam doctus fuerat. Etenim in voluminibus litterarum Pontificiarum deprehenditur id temporis plenissima in Pio fiducia Mantuani, iuxta

Kk 3

ac

1562.
c Litteræ Legatorum ad Borromæum, 19. Nouembris 1562.
d 23. Nouemb 1562.

a Litteræ, & arcana notæ Gualterij ad Borromæum, 25. & 26. Nouembris 1562.

Historia
Concilij Tridentini
Lib. 19. Cap. 4.